



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VIII. De indissolubilitate professionis religiosæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. VIII.

De indissolubilitate professionis religiosa.

Indissolubile esse professionem religiosam tam ex parte profitentis, quam ex parte religionis, in qua quis proficitur, ex dictis jam patet, ita ut nec solâ voluntate profitentis, nec ex sola dispositione religionis, nec ex mutuo consensu tam profitentis, quam religionis dissolvi possit quoad vinculum; potest tamen Pontifex per legitimam dispensationem relaxare vinculum professionis, ut postea religiosus amplius non sit, nec ullis votis ligatus, qui prius per professionem religiosam ligatus votis fuerat, ob universatissimam concessam potestatem ex DEI nomine solvendi omnia, quæ per publicam potestatem à Christo solvi prohibita non sunt; sicut non est prohibita absolute professionis religiosæ relaxatio; neque tamen per promotionem religiosi ad Episcopatum auctoritate Pontificis factam, vinculum religiosæ professionis dissolvitur, quia status hi inter se non repugnant quoad substantialia, sed potius se mutuo juvant, ita tamen, ut talis religiosus ad Episcopatum assumptus, ex voto obedientiæ jam Summo Pontifici specialiter obligatus sit, tamquam supremo sui etiam ordinis capiti; & ex voto paupertatis jam non monasterio, ex quo exemptus est, sed suæ Ecclesiæ acquirat; & quamvis à regularum sui ordinis observatione solutus sit talis Episcopus, dignitatem tamen Episcopalem non dedecet, sui ordinis observationes servare, in quantum sine præjudicio fieri potest.

§. IX.

An is, qui invalidè professus est, teneatur ratificare professionem; & qua requirantur ad ratificationem professionis invalidæ?

Qui invalidè professus est, impedimentum tamen irritans professionem in foro externo probare non potest, non tenetur ratificare invalidè à se factam professionem, sive bonâ, sive malâ fide invalidè sit professus, ob arduitatem scilicet status religiosi, qui spontaneum plenè, ac liberum consensum requirit: ob præsumptionem tamen spontanei consensûs, si impedimentum irritans probari non possit, cogi poterit in foro externo ad observationem professionis talis.

Quod si tamen ratificare velit, invalidam suam professionem, requiritur primò, ut ratificans sciat professionem à se factam irritam fuisse (quia incogniti nulla est voluntas) nisi expressè apud se statuat, quod professionem suam, si invalida fuisset ab initio, hinc & nunc validare velit. Secundò requiritur novus consensus tacitus vel expressus, per quem professio invalidè emissâ ratificetur, cum sit nova professio. Tertio requiritur, nova etiam acceptatio Prælati regularis, concij nullitatis prioris professionis, cum enim professio sit contractus mutuus, & reciprocus, tam religionem, quam profitentem obligans, consequenter, sicuti requiritur nova traditio ex parte profitentis, ita etiam nova requiritur admissio, ex parte religionis: quæ sententia, quamvis tutior, & probabilior sit, non tamen deest contrariè etiam